



ANN. XXII - N. 136

MM. NOVEMBRI et DESEMBRI

AN. D. MCMLII

## SUMMARIUM

Bibliographia . . . . .	M. Molina
Commentariorum periodicorum hujus aetatis tituli quomodo Latine reddi possint . . . . .	Josephus Holzer
Lucretiana . . . . .	Emil Orth
Cursus Gymnasticus . . . . .	Josephus M. <sup>o</sup> Mir
Nomenclatura vestiaría . . . . .	Josephus Holzer
Tabulae Minímae . . . . .	Alphonsus David
Nova et Vetera: Magnetismus . . . . .	Ildefonsus González
Bibliographia . . . . .	, ,
Index rerum atque scriptorum a. 1951 et 1952 . . . . .	

## Bibliographia

JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., *Latín*, tercero y cuarto curso. Textos Palaestra, Lauria 5. Barcelona, 1952.

Familiarissimum sane lectoribus commentarii nostri scriptorem tertii hujus voluminis agnoscimus ut eorundem benevolentiae iterum iterumque commendandum tradamus

Virtutes enim paedagogicae clarissimi Professoris Universitatis Pontificiae Salmanticensis, qui adeo est de Latinitate in tradendarum disciplinarum methodo et ratione meritis, volumen programmati officiali Status accommodatum et nuper editum, quam maxime commendant.

Uno tantum volumine —ut ex praefatione methodologica patet— regulas et exercitia grammaticalia tertii et quarti cursus Baccalaureatus auctor complectitur, commodo utilitati-que scholarum ecclesiasticarum consulens, in quibus mos est et institutum jam inde ab in- eunte curriculo tertio totum syntaxeos tractatum atque prosodiae artis-que metricae elementa alumnis tradere. Pro scholis autem Baccalaureatus, currenti scriptura signantur numeri qui in quartum annum asserventur.

Operis scriptor, praeter praecepta grammaticalia in prima libelli parte —superiorum vo-

luminum insectans viam— in altera, quam *Repetitorium* quoque appellat, plurima colligit conversionis et «retroversionis» exercitia e classicis scriptoribus desumpta, aliarumque plurimum rerum et sententiarum acervum congerit, quae non possunt non curiositatem studiumque puerorum allucere atque movere.

In tractandis curriculi tertii quaestionibus syntacticis, jure auctor ostendit quibus gradibus hodierna Latinitatis tradendae profecerit ratio ac disciplina.

Ad quartum vero cursum quod attinet, doctrina de subordinatione breviter repetita, de stilo indirecto ut de genere et speciali modo quo verba dicendi Latina efferantur, deque periodi analysi agit.

Quae omnia consequitur brevis sed accurata artis metricae notitia.

Quidni, igitur, hujusmodi volumen adeo nitidis variisque typis mandatum, tot tamque amoenis utilibusque imaginibus pictis refer- tum, tam alumnis quam magistris non parva voluptate evolvendum, omne sane commendatione dignum putemus?

Immo et ardenti animo speramus fore ut novissimum operis volumen alumnis superioribus dicatum perbrevis in lucem prodeat.

M. MOLINA, C. M. F.

Ordinarium ac Superiorum licentia

# PALAESTRA LATINA

---

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

---

## Commentariorum periodicorum hujus aetatis tituli quomodo Latine reddi possint

I) *De Latinitatis olim et nunc cultu.* — Vim atque abundantiam ephemericum, quae apud gentes ubique de philologia classica vulgantur, trutina pensitans — CCC fere numerantur — facile inducaris, ut antiquitatis scientiam tantopere credas florere, quantopere nunquam antea. Te autem a vero longe abesse, manifestum fit, si conventum virorum antiquitatis studiosorum, qui Parisiis anno 1950 habitus est, in memoriam revocas. Ex tredecim terris eo convenerant delegati: professores historiae antiquae, artium historici, epigraphici, archaeologi, recentissima de suis rebus prolaturi. Ex ceteris terris, quorum delegati coram non aderant, scientificae missae erant commentationes atque relationes. Sic hic conventus jure meritoque haberi poterat significatio omnium gentium. At nemo aderat, qui negotium linguarum susceperat ipsarum. Nonne haec res movet suspicionem? Scientiae auxiliares qu. v. nonne sui juris factae in disciplinam abisse videntur principalem cum summo ipsius antiquitatis doctrinae damno? Quae cum ita sint, istam de litteris, classicis commentariorum multitudinem quam supra tetigi, potius esse opinor litterarum ad ruinam labentium indicium quam florentium, etsi magnifica in rebus singularibus effecta esse diffiteri non audeo. Sed dolendum est utique, quod numerus Latine scribentium minuitur in annos: nemo Latinum videlicet sermonem usu adhibet. Et qua de causa? Quia opera Latine scripta non jam leguntur. Omnia referunt multi ad utilitatem et usum vitae materiamque. Levi bracchio agunt res quae ad mentis animique cultum spectant. Circenses appetunt atque panes, frequentant cinemata, sectantur voluptuaria, plane obliti labori nos esse natos, labore solo augeri artes et litteras, parari virtutem, ut vates Ascræus frustra cecinisse videatur: τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρῶτα θεοὶ προπάρουθεν ἔθλησαν ἀθανάτοι καὶ τὰ λοιπά, «Ante virtutem vero sudorem dei posuerunt immortales, longa autem atque ardua via est ad eam». Isti socordia torpent atque ignavia. «Nolunt discere, qui nunquam didicerunt. Non quia difficilia sunt, non audent, sed quia non audent, difficilia sunt», uti fatur

Annaeus, atque quae sunt difficilia, ea demum sunt pulchra. Verumtamen in illos quadrat, quod apud Euripidem ait Cyclops:

Non ulla numina expavesco caelitem,  
sed victimas uni deorum maximo,  
Ventri, offero; deos ignoro ceteros.

(Confer Euripidis Cyclopem, versus 315 ad 395).

Divitiae, quibus aditus patet «prudenter hujus mundi» ad vitae jucundae voluptates. sunt eis instar dei, reliqua autem verba splendida, quibus nihil emi potest. <sup>(1)</sup>

Mercurius igitur, protervus ille furum patronus et mercatoriae cupiditatis auctor, nostris —eheu— temporibus divortium fecit cum Philologia, postquam multa saecula fecundis feliciter juncti sunt nuptiis.

Aliter erant res ante C annos. Tunc Mercurius manus porrigebat munitas filii Philologiae, qui summa vegetati alacritate munera accepta neglectis vitae commodis eo contulerunt. ut pulcherrima ederent ingenii monumenta. Nec mirum est, quod suas res tunc eo tractaverunt sermone, quo utitur animus uno, Latino. Latino sermone tunc commentaria in scriptores veteres perpetua erant exarata. Latine theses ad lauream tractabantur. Prolusiones Latinae scribebantur et in Universitatibus litterariis et in Gymnasiis. Et hodie? Nostra memoria sibi ipsis relictis vitam agunt tristem, abjectam, contemptam. Mittamus querelas et veniamus tandem ad id quod est propositum.

Scriptiones, quae centum abhinc annis latine editae sunt, pervoluntati mihi id incidit in oculos, quod aliquot istorum philologorum severe vitabant, ne quicquam vernaculi admiscerent eis, quae latine scribebant. Quando laudabant opera domestico exarata sermone, titulos operum et verba exhibebant latine reddita. Idem mos valebat in commentariis periodicis afferendis. Quis sibi non sententiam audire videtur Ciceronis *Tusc.* I, 8, 15 dicentis: «Scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam Graeco Latine». In qua tamen re ne antiquitas quidem fidem servavit Tullio. Nam Apulejus, qui unus sit instar omnium, quae Graece scripta erant, Graece attulit, ut consentaneum sit qui hodie Latine scribebant, idem sibi vindicare jus et locos Anglice, Francice, Germanice, Graece, Hispanice, Italice exaratos promiscua varietate lustrando recognoscere. Hoc contra sensum est pulchritudinis. Sic stat sententia. Neque tamen contra eos facio, qui in adnotationibus vernacula afferunt quae in textu leviter significantur, sed vernacula textui varie scientiae ostendendae causa admixta non tolerabo. Si quis in textu se laudare vernacula necessarium esse putat ea afferat, quaeso, in Latinum sermonem conversa, ut totum dicendi genus sit fustum et compactum neque ex variis consutum panniculis.

(in proximum numerum)

Lebachii.

JOSEPHUS HOLZER

Regalis Gymnasii Rector

(1) Confer etiam ad rem L. Annaei Senecae controversiarum libr. I, praef. 8 et 9.

# Lucretiana

## 1. 175 vites autumnno fundi *vadente* videmus...

Autumnus vel persona «vadens» oculis offertur vel pars anni currentis repraesentatur. Autumni tempore transeunte, uvae (= *vites*) colliguntur. Lectio codicum manuscriptorum «suadente» sensu et intellectu caret. Autumnus ipse nihil suadet, immo ea perfici patitur, quae prioribus anni temporibus culta sunt. Littera «s» a scriba quodam ante «vadente (uadente)» praefixa est, qui in libris multo saepius «suadere» quam «vadere» legere et in lingua cotidiana uti videbatur; cf. 5. 743 Autumnus adit.

## 1. 666 ignis in coetu stingui *mussare*que corpus...

Poëta exponit doctrinam falsam esse quae contendit ignes cunctos (= *in coetu*) exstingui (= perire) et corpus (= substantiam ignium) proprium delere. Pro verbo delendi Lucretius «mussare» adhibet; «mussare» significat: tacere, celare, adspectui detrahare, abdere, inane reddere, metaphoricè postremo: *delere*; cf. ERNOUT-MEILLET: *Dictionnaire étymologique de la langue latine* (Paris 1939) 647. «mussare» est verbum priscae Latinitatis generi Lucretii scribendi commodum. Hoc modo e codicibus manuscriptis verbum perantiquum usu metaphorico adhibitum feliciter servavimus.

## 4. 1060 et successit *stringida* cura...

Adjectivum significans ad vocem «cura» adjungendum «stringida» est; amoris enim passione corpus stringitur et magis tenue angustiusque fit; ad verbum stringendi adjectivum «stringidus» pertinet, quod optime ad sententiae contextum quadrat. In adjectivo «stringida» prima syllaba brevis esse solet; Lucretius autem saepius vocabuli prosodiam qualitate metrorum versus coactus mutat in longo pede brevem syllabam contra regulam poëticam. Praeterea alliteratione (*stillavit... stringida*) emendatio loci commendatur. Denique crebro *f* et *t* (*f*rigida, *t*rigida) codicum scribae confundunt; sic tandem «stringida, trigida, frigida» lectio falsa («frigida») evasit.

## 5. 1189 per caelum volvi quia *fax* et luna videtur...

In versibus 5. 1189-1990 ter nomen «noctis» legitur, id quod re vera abundat. In linea 1189 «nox» forma rejectanea est; poscitur enim vocabulum, quo species lucis exprimitur; haec tamen vocula nihil aliud nisi «fax» est qua illuminatio caeli vespertini describitur; *fax* (*Abendsonne, Abendleuchten*) invenitur apud Gellium III 2. 11 (prima fax noctis); praeterea apud Apulejum *Metamorph.* 2, 10; hoc sensu «fax» occurrit etiam apud Censorinum 24, 6; apud Macrobius *Sat.* I 3, 8 ejusque *Somnium Scipionis* I 9, 15; apud Servium ad Vergilii Aeneiden auctum III 587 cf. *Thes. ling. lat.* «fax» col. 402, 38. «Fax» denique est ilico tropus *συνεκδοχής*, quippe quae causa materialis pro effectu lucis ponatur.

5. 663 et satis haec tellus *torvi* caelumque mali fert...

Ex ambitu sententiae adjectivum «mali» quod ipsum substantivum (τὸ κακόν) significat, postulatur. «mali» est genitivus pendens a «satis»; non de morbo ipso agitur, sed de malo, unde moribus eveniat; scribendum est «torvi»; «torvus» est adjectivum eodem sensu praeditum atque «atrox»; scilicet *v* et *b* facile loquendo confundebatur; (*morbus* et *morvus*; *bibam* et *vivam*; exstant hujus rei innumera exempla). «torvus» ad «torbus», «torbus» ad «morbus» ducebat. «satis... torvi... mali» (*genug von dem grimmigen, grausigen Uebel*) est verissima emendatio hujus loci.

FAVORINI JUDICIUM DE LUCRETIO denique tractare in animo habemus; neque enim usque ad nostra tempora illius iudicii ratio habebatur, quod scriptum videmus apud Gellium I 21, 4-5 «...cum Favorino Hygini commentarium legissem (= Gellius) atque ei (= Favorino) statim displicita esset insolentia et insuavitas illius *sensu torquebit amaro. risit et Jovem lapidem inquit quod sanctissimum jusjurandum habitum est, paratus ego jurare sum Vergilium hoc numquam scripsisse, sed Hyginum ego verum dicere arbitror. Non enim primus finxit hoc verbum Vergilius insolenter, sed in carminibus Lucreti invento usus est, non aspernatus auctoritatem poëtae ingenio et facundia praecellentis*».

Quo ex loco efficitur Lucretium poëtam «ingenio et facundia» praecellentem fuisse. Si Favorini iudicium cum eo Ciceronis de Lucretio comparamus, ambo in eo consentiunt illum poëtam duabus virtutibus praestitisse: ingenio (φύσει) et arte (τέχνη), id est facundia. Quae proprietates cujusvis poëtae etiam in *arte poëtica* Horatii 408-418 commemorantur; Horatius autem dependet a poëtica Graeca Neoptolemi Pariani apud quem poëta est ὁ τὴν τέχνην (artem) γὰρ τὴν δόναμιν (facultatem naturalem = indolem = ingenium) ἔχων; cf. R E s. v. Neoptolemos nr. 11 col. 2469, 15. Non est necesse putare Favorinum Ciceronis iudicium de Lucretio ante oculos habuisse vel cognovisse. Cum Favorinus «facundiam» Lucretii laudat, ea re ostenditur optime Ciceronis iudicium (*ad Quintum fratrem* II, 9 (11), 3, ito emendandum esse: «Lucreti poëmata, ut scribis, ita sunt, <sine> multis luminibus ingeni, multae tamen artis et cum veneris <virtute>»; venus idem est ac χάρις et gratia sermonis. Cicero autem et Favorinus ex eodem poëticae fonte Graeco, id est: ex Neoptolemo Pariano aliis interpretibus hausisse videntur.

EMIL ORTH

# Cursus Gymnasticus

## DISCURSO SOBRE EL PIAVE

Morir no basta. Si morir es cesar de combatir, no se puede morir. Forzoso es levantarse. La patria engendra los hijos, fuertes y armados; los levanta y los lanza. En un momento pone un vivo por un muerto, un combatiente por un caído. Ningún puesto puede hoy quedar vacío. Donde hay espacio aprovechable para un hombre, allí debe haber un hombre, en pie, de rodillas, a gatas o cuerpo en tierra; pero siempre con un fusil en la mano, siempre al servicio de un arma.

Y si el arma falta, cualquier otra cosa es buena. En el Carso arrancamos y rodamos los peñascos. En el Cengio, una noche se hicieron valer los puños y los pies, los dientes y las uñas. ¿Y aquí las piedras no se levantarán por sí mismas? ¿Dos brazos inermes no aplastarán al enemigo ya cogido?

(Cfr. F. CUPAIUOLO, *La versione latina*. Napoli, 1947, p. 262 - D'ANNUNZIO)

## CONVERSIO LATINA

### CONTIO AD MILITES APUD PLAVEM FLUMEN

Morí non est satis, neque mori licet, si mors pugnandi est finis; at contra exurgere necesse est. Patria enim quos filios fortes et armatos genuit, hos et extollit et excitar, statimque vivum hominem pro mortuo, pugnantem militem pro jacente substituit. Nullus sit hodie locus defensoribus vacuus; sed ubi spatium homini idoneum, ibi miles consistat oportet vel genibus nixus, vel manibus pedibusque fixus vel humi stratus sclopetum tamen semper manibus gestans, semper arma tractans.

Quodsi arma desunt, quicquid aliud pugnae utile esse potest. In Carso enim monte saxa avulsa dejecimus; in Cengio autem olim pugnis calcibus, dentibus unguibus noctu certavimus. Quid? hic nonne lapides exsurgent ipsi? Arreptum hostem vel manibus inermis non obteremus?

### COMMENTARIUM

**discurso:** *contio*, cujus etymon seu notatio est *con[ven]tio* a verbo *convenire* [*convent-um*]; et ideo scribere oportet *contio*, non vero *concio*. Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol. de la l. lat.*, s. v. *venio*. — *Oratio* est allocutio arte elaborata seu locutio oratoria; *sermo* vero est colloquium cum aliquo. — Ut autem *contionem* definias, compementum *ad, apud milites* subijcto; et quamvis *contionem apud milites* saepe invenias [*Caesar... contionem apud milites habuit* (CAES. B. C. 3, 73, 2); *Marcellus... contionem adeo saevam apud milites habuit* (LIV 27, 13, 1)], tamen aptius hoc loco *ad milites ex subsequenti apud* adhibebis.

**sobre el Piave:** *apud Plavem flumen*; *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen... dividit* (CAES. B. C. 1, 1).

Quamquam ut Tullius (*Orator*, 67, 225) monet: *Incisim autem et membratim tractata oratio in veris causis plurimum valet* et M. Fabius: *Ubi cumque acriter erit, instanter, pugnaciter dicendum, membratim caesimque dicemus* (QUINT. *Ins. Orat.* 9, 4, 125); tamen oratio Latina quodam verborum ambitu saepissime circumducitur; in hac igitur contione vertenda et membra serventur et quidam verborum ambitus retineatur.

**morir:** *mori est generatim* «extremum spiritum effundere, vita decedere» (FORCELLINI).

**no basta:** *non satis est.* «Non enim fortasse satis intellegis» (Cic. *Phil.* 2, 32); «*Non satis est dulcia esse poemata*» (HORAT. *Ad Pis.* 99). — *Satis est* = quod res ipsa per sese postulat; *sufficit* impers., non est aureae aetatis.

**si morir es cesar:** pro verbis, substantiva concreta adhibe: «si mors est finis».

**no se puede:** *non licet*; Cfr. «Si illud non licet, saltem hoc licebit» (TER. *Eun.* 4, 2, 12).

**forzoso es levantarse:** periodum productum atque particulas *at contra* praefige, quibus oppositio cum superioribus acriter inducitur. — Verte: «nobis exurgendum est», nam «gerundivum et participiale in *-ndum* necessitatem et officium adsignificant» (LLOBERA, *Grammatica clas. Lat.*, n. 121); vel etiam «exurgere necesse est»; et adnota *necesse est* sine subjecto, infinitivo tantum efferri.

**la patria:** ope conjunctionis *enim* cum superioribus conecte. Ut autem quae sequuntur orationes vividius proferantur aptiusque inter se cohaereant, in altera relativum praepone, in altera vero demonstrativum adhibe: «*Quae*. ipse ille, si viveret, non faceret, *ea* nos probamus» (Cic. *Fam.* 12, 1, 1); «*Quos* ferro crucidare oportebat, *eos* nondum voce vulnero» (Cic. *Cat.* 1, 4, 9); quae loquendi ratio usitatissima est.

**levanta - lanza:** *extollere - excitare.*

**en un momento:** orationis periodum prosequere, et encliticam *-que* usurpa.

**vivo:** *vivus*; «Id spero vivis nobis fore» (Cic. *Att.* 10, 8, 8); «Quosdam et jacentes vivos invenerunt» (Liv. 22, 51, 7); «Quid tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis?» (Cic. *Rosc. Amer.* 26, 72), vel etiam *vivus homo*: «Membra vivis hominibus complent» (CAES. *B. G.* 6, 16, 4).

**combatiente:** *pugnator*; «Fortissimus quisque pugnator esse desierat» (Liv. 24, 15, 4); *bellator* autem significat: «bellicosus, pugnax, qui intimo animo ardore in bella fertur., animosus strenuusque pugnator» (cfr. FORCELLINI). Sed et *miles pugnans* dici potest; quam si usurpas locutionem, ut concinnitatem retineas, dicito quoque *homo vivus* pro *vivo* tantum.

**puede quedar:** verbum *esse* sufficit, quod in subjunctivum hortativum convertes.

**vacío:** ut vocem amplius definias, «locus defensoribus vacuus» dicere potes.

**donde:** periodum prosequere, et conjunctionem *sed* adhibe.

**debe:** *oportet*, quod subsequi solet subjunctivum cui adnectitur: «Dictator rem publicam constitui oportet» (Cic. *Somn. Scip.* 2, 4).

**en pie (un hombre):** in verbum commuta: «miles consistat».

**de rodillas:** *genibus nixus*; «Ambae te obsecramus genibus nixae» (PLAUT. *Rud.* 3, 3, 33); cfr. etiam *de genu pugnare*: «Etiam si ceciderit, de genu pugnat» (SEN. *Provid.* 2, 6).

**a gatas:** *manibus pedibusque fixus, jacens.*

**cuerpo en tierra:** *pronus*, et melius, ut videtur, *humi stratus*; cfr. «Fessi somno ac vigiliis sternunt corpora passim» (Liv. 27, 37); et translate: «Virtus populi Romani haec omnia strata humi erexit ac sustulit» (Liv. 26, 41, 14).

**fusil:** ex omnibus vocabulis quae proposita sunt (a cl. viris Jacobelli, Bini, Wagner, Cognasso, Bacci, Sleumer, Bione, cet.), *sclopetum* magis accomodatum videtur, quod et retinendum censemus.

**al servicio de un arma:** substantivum in participium praesens converte: *arma tractare*; «Tela tractare» (Liv. 7, 32, 11).

**cualquier otra cosa:** *quicquid aliud.*

**buena:** *pugnae utilis.*

**en el Carso:** *in monte Carso*; particulam enim intersere.

**arrancamos y rodamos:** (*saxa*) *avulsa dejicere.* — Ex actionibus, quas nos duobus verbis conexis exprimimus [*arrancamos y rodamos*], Romani primam participio efferunt eamque quasi adjunctam alteri verbo habent: «avulsa dejecimus»; «T. Manlius Gallum. caesum torque spoliavit» (Liv. 6, 42, 5) (occidit et spoliavit).

**una noche:** *noctu (nocte)*. cui praemittere potes *olim*.

**se hicieron valer:** alto modo proferenda est oratio; verbum *certare* in prima persona plurali usurpandum.

**los puños y los pies...:** verba synonyma et voces quae paria proferuntur saepissime sine conjunctionibus apponuntur: «oro obsecro, honesta turpia, docti indocti».

**y aquí:** addere potes interrogativum *quid?*, quo saepe utuntur Romani ad vim interroga-



tionis augendam: «Quid? canis nonne similis lupo?» (Cic. *Nat. deor.* 1, 35, 97)

**no:** *nonne*, nam responsum expectatur affirmativum, eaque particula alias voces subsequi solet. —Quod subinde consequitur Hispanicum *no*, vel *nonne* (cfr. Cic. *Nat. deor.* 3, 5, 13) interpretari potes vel simpliciter *non*: «Nonne hunc in vincula duci, *non* ad mortem rapi, *non* summo supplicio mactari imperabis?» (Cic. *Catil.* 1, 27); nam cum insequuntur orationes interrogativae, quae affirmativum expectant responsum, etiamsi in prima *nonne* praeponatur, reliquae *non* sequi ferre solent.

**por sí mismas:** *ipse*; «Valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt» (Cic. *Divi-*

*nat.* 1, 34, 74); «Arma ipsa ceciderunt» (Cic. *Off.* 1, 22, 77)

**dos brazos:** raro rebus inanimis subjecti munus tribuitur; nominativum igitur in ablativum converte. Numeralia, cum facile intelliguntur, saepe omittuntur.

**inermes:** *inermis*, dicitur etiam —rarius tamen *inermus*; «Ne quis *inermibus* militibus... impetus fieri posset» (CAES. *B. G.* 3, 29); «Cum paucis *inermis*, perterritis metu, fugisse Antonium» (Cic. *Fam.* 11, 12, 1).

**aplastarán:** *opprimere, obterere*; «Percontari coepit, fatisne et videretur instructus ad obtinendum hostem» (CURT. 5, 2):

JOSEPHUS M<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

# Nomenclatura vestiaria

## VESTITUS MULIEBRIS

1 traje de baño	Badeanzug	<i>vestis balnearis</i>
2 utensilios de baño	Badezeug	<i>balnearia, ium</i>
3 adorno del escote	Blende	<i>philyra, f.</i>
4 blusa	Bluse	<i>indusium pelusinum, pelusia, f.</i>
5 chaqueta larga y falda	Complet	<i>habitus completus</i>
6 pechera (cosida), entredós	Einsatz	<i>paragauda</i>
7 peinador	Frisierumhang	<i>involutum</i>
8 sombrero	Hut	<i>mitra, mitella</i>
9 chaqueta	Jacke	<i>palla</i>
10 chaquetilla	Jackett	<i>pallula Gallica</i>
11 jersey de punto —sin botones y con mangas cortas—	Jumper	<i>colobium laneum, pelusia lanea</i>
12 casaca	Kasack	<i>casula</i>
13 vestido	Kleid!	<i>vestis, stola</i>
» ordinario	Ausgekleid	» <i>ambulatoria</i>
» de visita	Besuchskleid	» <i>salutatoria</i>
» típico del Tirolo	Dirndlkleid	» <i>more rusticanarum Tirolensium, aut simpliciter vestis Tirolensis</i>
traje de etiqueta, de sociedad	Gesellschaftskleid	<i>vestis ad societatem</i>
traje de boda	Hochzeitskleid	» <i>nuptialis</i>
vestido de chaqueta	Jackenkleid	» <i>casularis</i>
especie de bata	Kittelkleid	» <i>indusiata</i>
vestido de cabalgár, de montar	Reitkleid	» <i>equestris</i>
» de calle, ordinario	Strassenkleid	» <i>viaria</i>
» de cola	Schleppkleid	» <i>symatica</i>
» típico (regional)	Trachtenkleid	<i>vestis more gestaminis gentici, vestis gentica</i>

14 traje sañte	Kostüm	<i>habitus, ornatus consuetudinarius</i>
15 manguito	Muff	<i>manucium</i>
16 falda con pliegues	Plissérock	<i>castula plicata, limus plicatus</i>
17 paraguas	Regenschirm	<i>pluviale tutaculum</i>
18 capa (impermeable en forma	Regenumhang	<i>anaboladium pluviale</i>
19 falda [de capa)	Rock	<i>castula, supparum, limus (Volo sub hoc lem m ate significare indumentum mulicbre a late re ad poplites usque aut ad mediaş suras pertingens)</i>
ropa de cámara, de levantar	Morgenrock-Schlafrock	<i>vestis matutina, cubicularis</i>
20 bufanda	Schal	<i>ricinium, rica</i>
21 velo	Schleier	<i>oris velum</i>
22 zapatos	Schuhe	<i>calcei</i>
» bajos	Halbschuhe	<i>semiplotia, orum</i>
» de baile	Pumps	<i>calceoli ad collum excisi, (excisati)</i>
» de tacón alto	Stöckelschuhe	<i>calcei fulmentis praealtis</i>
zapatos de tacón bajo	Schuh mit flachem Absatz	<i>calcei fulmento humili</i>
» de tacón medio	Schuh mit Blockabsatz	<i>calcei fulmento mediocri</i>
23 delantal	Schürze	<i>cinctorium, praecinctorium</i>
» típico del Tirol	Dirndelschürze	<i>semicinctorium Tirolense</i>
bata-delantal	Kittelschürze	<i>cinctorium indusiatum</i>
delantal con peto	Latzschürze	<i>praecinctorium laciniatum</i>
» de adorno	Tändelschürze	<i>ventrale denticulatum</i>
» con cintas	Trägerschürze	<i>praecinctorium cum habenis</i>
24 sobaquera	Schweissblatt	<i>plagula sudatoria</i>
25 sombrilla	Sonnenschirm	<i>umbella</i>
26 jaquetilla	Spenzer	<i>cingillum (RICH, Illustr. Wörterbuch der röm. Altertumer, Parisiis et Lipsiae 1862 p. 148 sub voce cingillum), tunica spenseriana. Nuncupatur ex Anglico senatore nobili Spenzer, qui ab 1758 usque ad 1834 fuit inter mortales.</i>
27 chaqueta de punto	Strickjacke	<i>alicula e maculis</i>
28 medias	Strümpfe	<i>tibialia</i>
29 blusa del vestido regional	Trachtenbluse	<i>pelusia gentica, popularis</i>
30 chaquetilla	Trachtenjacke	<i>alicula popularis, gentica</i>
31 camiseta	Unterhemd	<i>striatoria</i>
32 camiseta (camisa) de lana	Unterjacke	<i>striatoria lanea</i>
33 volante	Volant	<i>limbus fluctuans</i>

## TEXTILIA, PANNI DESCRIPTIONES

1 lana de alpaca	Alpakawolle	<i>lana paconina (Adjectivum ab Authenia Pacone derivatum. Authenia Paco est ovis genus)</i>
2 raso, satén	Atlas	<i>pannus Attalicus</i>
3 barragán	Barchent	<i>barracanus (cf. HEMME, Das lat. Sprachmaterial in Wortschatz der deutschen, französischen und englischen Sprache, Lipsiae, 1904, sub voce allata)</i>
4 batista, holandá	Batist	<i>baptistinum</i>
» de lienzo	Leinenbatist	<i>» lineum</i>
» de seda	Seidenbatist	<i>» sericum vel bombycinum</i>

5 especie de franela	Biber	<i>fibrinum, i, n.</i>
6 crespón	Borkenkrepp, Crepon	<i>crispum /acdicium, pannus crispus</i>
7 brocado	Brokat	<i>opus lunatile</i> [facilius
8 tela fina de seda artificial	Charmeuse	<i>sericum carminosum</i>
9	Cloqué	<i>pannus spinatus</i>
10 china, seda fina	Crêpe de Chine	<i>crispum Sinae</i>
11 damasco	Damašt	<i>damascenum</i>
12 dril, terliz	Drell	<i>trilicium</i>
dril para colchones	Matratzendrell	» <i>culcitarum</i>
13 terliz burdo	Drillichzeug	<i>pannus trilix</i>
14 flanela	Flanell	<i>flamea</i>
15 tela de toalla	Frottierstoffe	<i>texta spongia, n. pl.</i>
16 frisa	Fries	<i>frisium (nomen a Frisiis ductum),</i> <i>frezum, fregium (DUCANGE)</i>
17 forro	Futtertuch	<i>pannus subtilis</i>
18 gabardina	Gabardine	<i>gabardinum (ab officina textilibus</i> <i>fabricandis Gallica gabardine)</i>
19 crespón transparente y flexible	Georgette	<i>georgulanum</i>
20 paño de lino burdo	Hauštuch	<i>pannus domesticus</i>
21 fustán	Inlett	<i>fustaneum (nomen duxit a suburbio</i> <i>Cairi Fostat, quod in media Latinitate Fustaneum</i> <i>dictum est, cf. Chambers Dictionary p. 371-2,</i> <i>HEMME, Lat. Sprachmaterial, sub voce fustaneum)</i>
22 estambre	Kammgarn	<i>stamen filatum, filum lanæ petinatae,</i> <i>tela cameracensis</i>
23 cañamazo burdo	Kanevas	<i>tela cannabina, pannus cannabinus</i>
24 paño cruzado	Köper	<i>pannus obliquus, p. filis obliquis</i> <i>textus, p. cruciatus</i>
25 cretona	Kreton	<i>cretonium, cretonianum [a vico</i> <i>Normannico Creton textilibus celebrato]</i>
26 paño, lienzo	Leinen	<i>lintheum</i>
» fino	fein	<i>tenue</i>
» basto	grob	<i>grossum</i>
lienzo semi fino	Halbleinen	<i>semilinteum</i>
» para trabajos de mano	Handarbeitsleinen	<i>lintheum ad acus opus</i>
» para forros	Schneiderleinen	<i>lintheum vestiarium</i>
27 linón	Linon	<i>lintheum subtile</i>
28 tela sin batanar	Loden	<i>pannus crudus, lodix</i>
29 mahón	Mako	<i>xylinum aegyptium</i>
30 pana	Manchester	<i>mancunianum</i>
31 marquesina	Marquissette	<i>tela marchionalis</i>
32 muaré, moaré	Moire	» <i>interundata</i>
33 tela fina	Molton	<i>mollicina</i>
34 muselina	Musselin	<i>tela levidensis, mossulinum</i>
35 muestra	Muster	<i>descriptio, designatio</i>
cuadriculado	gewürfelt	<i>tessellatus</i>
estriado	gestreift	<i>striatus, strigatus</i>
ondulado	gewellt	<i>undatus</i>
veteado	gemasert	<i>venosus</i>
en forma de llamas	geflammt	<i>flammae speciem referens</i>
rayado oblicuo alterno	Fischgräten	<i>piscium spinas referens</i>
con flores	geblümt	<i>floratus</i>

Lebachii

DR. JOSEPH HOLZER, Rector

# Tabulae Minimae<sup>(1)</sup>

ex rebus gestis divi Francisci a Paula Minimorum Auctoris

## Pallio insidens maris undas transvehit

*Cum plagas quondam Siculas rebelles  
vellet optato sociare tandem  
foedere aeterno, viden ut profundum  
innatet aequor?*

*Pallio, — num audens? — laceroque, strato  
— quam ratem ventis! — resonas in undas,  
orat, incendit, rapidus Sicanas  
tendit ad oras.*

*Adpulit fidens: alium relustres  
qui Italis Caelo retibus perinstet  
mirius Nostro, pelagique micet  
sidus amicum?*

*Ast ibi, Mylis, miserans peremptum  
ora praefixum rigide capistro,  
— Caedite, — inclamat — laqueum secate! —  
Bracchia tendit:  
insecant. Rigens simul ut cadaver  
incedit Divi tremulas in ulnas,  
vivit! Oh digno Minimum refingam  
taliam versu!*

## Nummos a rege oblatos frangit

*Regiam in sedem, mala sceptris ducens  
indigum Fratrem, colat ut benignus,  
advocat Princeps, facili atque nummum  
munere complet.*

*Qui furor Divum subitus lacessit!  
En capit nummum, digitis refringit  
lene; perruptis opibus quid actum?...  
Sanguine manant!*

*— Quas opes proditis?... miserum relectas  
fletibus dire?... Miserum querelas  
sanguine adnosti?... Renuam! — ista regi  
candidus Heros.*

*Decident stellae, ruet imus orbis,  
devolet fusas maris usque gurgis,  
sultis, aut undas, inopum anne Vindex  
tum excidet una?.*

## Quaeritur a regis militibus

*— Huc, Pater, plures adiere Regis  
milites; nectant meditantur — eheu! —  
te, Pater, vinculis; rapiant amatis  
sedibus urgent!...*

*Haec refert Divo minimus; serenus  
at Pater, sacras remorans ad aras:  
— Hic eram; resto: Deus ipse spes hic  
certa salutis. —*

*Usque perreptant latebas ad omnes  
milites; templum repetunt, adestque  
Divus: haud ducunt toties retractum, ut  
lumine cassi.*

*Quaeque, ni fratres Minimi receptum  
explicent, jactant; aderatque Divus.  
Non secus quam sol subitus, refractis  
nubibus exstat:*

*exstat et Divus: gravis ora fulget:  
territi, Athletam venerantur, tmis  
fronribus, missi. — Quid adhuc minantes  
sistitis? Adsum!*

*Hic eram. Vestras modo, — jamque inanes, —  
ipse nunc aestus patiar: minarum  
ictibus numquid titubent relata  
fataque Caelo?*

*Quae manent! Regi potius novanda  
mos, domus, leges: iterum monendus?  
Nunc satis! — Surgunt, abeuntque missi.  
Dein mala, luctus!...*

*Civium motus, rabiesque belli  
pluries; regni vetus, inde patrum,  
et decus versum; dolus, atra vexat  
limina caedes.*


ALPHONSUS DAVID

(1) Libenter accepimus librum cui index: ALFONSO DAVID, *Schizzi Minimi dalle Meraviglie della vita di San Francesco di Paola Fondatore dell'Ordine dei Minimi*. Carme latino saffico con note e illustrazioni. Tipografia Poliglotta Vaticana, - 1<sup>952</sup>.

Carmis specimen lectoribus praebemus atque librum enixe commendamus.

# Nova et Vetera

## Magnetismus



Hæc *Magnetismi* vox, novae quidem notae, diverse varietate in scientiæ ac sermonis provincia sumi potest. In primis vis illa attractoria est magnetis lapidis, de quo infra. Est ille quoque naturæ phaenomenorum complexus, quæ res et attrahunt et repellunt, generatorum vero magnetibus aut fluxibus electricis. Atque Magnetismus est ars scientiæ, omnibus quæ hujus modi phaenomenis enodandis explorandisque incumbit.

Jam vero animum hæc in re divortia doctrinarum advertit: Magnetismum terrestrem et Magnetismum animale. Magnetismus terrestris ea est proprietas orbis terrarum, quæ certam in aciem magneticam actionem naturalem infert; Magnetismus vero animalis ea actio, quam efficere homo in homine, cui infundit peculiarem somnum, potest: quod ad agendum eum juxta propriam illius voluntatem adigit.

Hujus nempe Magnetismi animalis inventor perhibetur Antonius Mesmer, clarus medicus Germanus. Qui nova quaerens medendi genera, mirum se invenisse remedium variorum morborum in fluxu quodam subtilissimo putavit, ex animalium pluries corporibus emanante, fluxui tamen magnetis admodum parili. Quem ideo fluxum Magnetismum animale nuncupavit. De hac autem Magnetismi ratione, hæc in tabula jam jamque explicanda, nihil reperies.

In præsenti enim tabula præcipua cernis elementa vel apparatus de arte scientiæ Magnetismi terrestris, adeo his nostris diebus in usu, cum in itineribus marinis tum aëriis. Itaque de uno quoque verba ex more faciemus non nulla, quæ in tironum commodum Latinitatis utiliora colloctioni de re instituendæ videbuntur.

1. Et numero pictae tabulae primo *magnes* respondet, qui figuram, ut plurimum, soleae ferrae adhibere in commercio hominum solet. Hic vero est *magnes* artificialis, nempe aut ferro aut chalybe mixtus vetis magneticus. Lingua nostra Hispanica *imán* dicitur vel etiam *calamita*; *magnes* autem naturalis *magnetita*, cui ars chymica recens studendae curat.

*Magnes, étis*, a voce Graeca μάγνης derivatur: est vero lapis qui ferrum ad se adlicit et attrahit. Alias *lapis Heraclius*, vel *Lydius*, *siderites* vel etiam *lapis magneticus* nuncupatur. A Magnesia, urbe Lydiae, circa eam cum proveniat, nomen duxit. Qua quidem de re Lucretius (6, 906-909):

«Quod superest, agere incipiam quo foedere fiat  
Naturae, lapis hic ut ferrum ducere possit,  
Quem Magneta vocant patrio de nomine Grai,  
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus».

At vero Plinius (36, 127) haec, sua in *Naturali Historia*, notanda adfert: «*Magnes* appellatus est ab inventore, ut auctor est Nicander — in *Ida*, ut reperio, namque et passim inveniuntur, in *Hispania* quoque —; invenisse autem fertur clavis crepidarum, baculi cuspidem haerentibus, cum armenta pasceret».

Quod in *Mythologia* referunt, *Magnes* erat quidam *Medae* famulus, quem era in magnetem lapidem convertit. Juxta tamen ipsius *Nicandri* interpretationem, quodam agitur hic de pastore, qui, oves per campos circumagens, ex eo quod ferreos in calceis haberet clavos, magnetico rupi inhaesit. Nonne et isthaec, ut alia, affaniae? Sed ita ad nos relatum.

Ceterum ab antiquis scriptoribus bifariam haec vox magnetis accipitur: interdum pro eo qui ferrum attrahit; interdum vero pro quodam lapide tanquam argentei nitoris. Ex quo quidam veterum scriptorum alium esse magnetem a lapide *Heraclio* dicant. Vox *magnes* proprie est adjectiva; et cum una in sermone ponitur, *lapis* intellegitur verbum.

Haec, apud *Marcum Tullium Ciceronem* (*De Divin.* 1, 39, 86), de magnetem repperi: «Ut, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se adlicit et attrahat, rationem, cur id fiat, adferre nequeam, fieri omnino neget». Cujus quidem lapidis vis et natura ita a *Lucretio* (6, 1042-1043) belle depingitur:

«Fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat  
Interdum, fugere atque sequi consueta vicissim».

2. Haftenus, suavissime lector, *VETERA*; *NOVA* autem non nulla jam consequantur. In altero picturae numero vides *acum magneticam*, una cum ejusdem suppedaneo seu basi. Est vero acus haec vel sagittula, quae certis in condicionibus in se volvendi posita, directionem *meridiani* magnetici monstrat. Atque in ea quasi fundamentum est hodiernae navigandi arte vel usus nauticarum rerum.

Nam antiquis navarchis vel naucleris omnino ignota fuit haec magnetica acus, ac proinde ejusdem commodissimus in navigatione usus. Hinc forsitan orta illa *Lucretii* querella: «Improba navigii ratio». Sed jam tempus est subducendi navim:

navis ne, hinc dorso surrecta, inde in altum depressa, in latus invertatur, neque naufragia tu mea ex terra intueare.

3. Tibi tres *pyxides magneticae* in tabula pictae sunt, n. 3-5. Et adparatus isti apud nostrates dicuntur *brújula*, a voce ltala *bussola*: quae quidem ambae derivatio vocis *pyxis*, *idis*, juxta W. Meyer Luebke (*Romanisches Etymologisches Woerterbuch*): *Pyxis* > *buxida*. Suedit. *bussola* (> fiz. *boussole*, span. *brújula*).

Itaque *pyxis magnetica* aliud nihil est, nisi quaedam capsula vel theca, in qua rite posita est acus magnetica. In tertio tabellae numero vides *pyxidem magneticam*, quae in re nautica dicitur *inclinationis*. In ea enim arte dicitur inclinatio magnetica, vel inclinatio acus magneticae, ille quidem angulus, juxta diversitatem locorum, variabilis, quem acus magnetica cum plano horizontali efficit.

Ampliore autem significatione et *pyxides magneticae* appellantur omnia ea instrumenta electro-magnetica, quorum elementum est praecipuum magnes mobilis. Quae plane ad definiendas in orbe terrarum directiones, ut quod in navigatione adhibetur ad monstrandum navigii cursum, inserviunt. In scientia vero physico-chymica alias quoque adplicationes *pyxides magneticae* nobis offerunt, quae omnino hic praetermittendae.

Itaque nautae transmittunt maria, secundum *pyxidem magneticam*, commodum plagarum mundi indicem. Cujus certe indicio etiam per tenebras vela faciunt. Quod antiquitus facere non poterant, nisi ad stellae polaris vel cynosurae profectum, accensosque ignes, qualis Pharos, praeclucebat. Hae ratione enavigant hodie ingentia aquarum spatia, et circumvehuntur oceanum, et appellantur ad diversa locorum terrarum mariumque litora.

4. Aliam in numero tabulae quarto *pyxidem magneticam* cernis, ab Hispanis dictam *compás*. Haec *pyxis profecto* in navigatione instituenda, ut ad rem aptior, praesertim adhibetur. Scientia enim recens Magnetismi plures variosque induxit magnetis usus, prout et commoda et technicae utilitates requirebant. Huic fortasse adparatui nominando illud quadraret Vitruvii vocabulum: *mesolabium*. «Itaque Archytas cylindrorum descriptionibus, Eratosthenes organica *mesolabi* ratione idem explicaverunt» (9, 14).

5. Pictor in tabula quinta ostendere, plus minus, intendit *pyxidem magneticam declinationis* nuncupatam. Atque in re quidem nautica declinatio magnetica, vel declinatio acus magneticae, ille quidem angulus est, quem acus magnetica cum meridiano diversorum locorum efficit.

6. Denique sexta pictura monstrat magnetem oblongum, in quo depingitur *zona neutra*, vel quae vi magnetica caret; *poli* autem magnetici punctis distinguuntur. Ut vero jam a NOVA ad VETERA revertamur, accipe quae Plinius de vi et natura magnetum referat: «Differentia est prima, mas sit an femina, proxima in colore. Nam qui in Magnesia Macedonica reperiuntur rufi nigrique sunt, Boeoti vero rufi coloris plus habent quam nigri. Is, qui in Troade invenitur, niger est et feminei sexus ideoque sine viribus, deterrimus autem in Magnesia Asiae, candidus neque attrahens ferrum similisque pumici» (36, 128).

Nunc vero, magis ut in usum Latinae linguae veniamus, *magnes* ad relationes, quas his grammatici vocabulis definire solent: *Ubi, unde, quo, qua, quorsum, quousque*.

Relationem quidem *ubi* vel «staticam» in primis definit pyxis magnetica, cuiuslibet est generis vel naturae. En tibi modo, secundum eorum categoriam, adverbia loci has relationes exprimentia; et nota obiter Latinae linguae commoditatem in proferendis ejusdem fere sensus vocibus:

UBI	UNDE	QUO	QUA	QUORSUM	QUOUSQUE
Hic	Hinc	Huc	Hac	Horsum	Hucusque
Istic	Istinc	Istuc	Istao	Istorsum	Istucusque
Illic	Illinc	Illuc	Illac	Illorsum	Illucusque
Intus	Intus	Intro	Intrinsecus	Introrsum	Intusque
Alibi	Aliunde	Aliquo	Aliqua	Aliorsum	
Ubique	Undique	Quoque	Quaque	Quaquaversum	Usquequaque
Ubivis	Undelibet	Quovis	Quavis		
Utrobique	Utrunque	Utroque	Utraque		

Commemora denique praecipua, appendicis gratia, paroemia, quae e re nautica originem sumpserunt, quaeque paene in adagium abierunt. Id quidem erit flores rerum decerpere:

- «Disce natate cortice»: a facilioribus incipe
- «Disce natate sine cortice»: rem tuo Marte elabora
- «Naufragium in portu»: dicitur de re bene coepta, male vero finita
- «Ex naufragio tabula»: de solacio in magno infortunio
- «Res in vado est»: nempe in tuto
- «Verte vela»: muta inceptum
- «In eadem navi estis»: de communi sorte seu periculo
- «Navem perforas qua ipse navigas»: de eo qui se cum proximo dolet
- «E terra spectat naufragium»: qui extra discrimen versatur
- «Cum sarcinis enātat»: qui sua secum omnia subtrahit discrimini
- «Contrahe vela, subduc vela»: moderate te gere
- «Velis et remis»: omni hominis conatu
- «Oportet remum ducere qui didicit»: in sua quisque arte se exerceat
- «Sedere ad clavum»: rem publicam administrare
- «Vela perimite ventis»: cuicumque eventui te commenda
- «Duabus nititur anchoris»: qui duplici fulcitur praesidio
- «Anchora jacta mihi est»: in tranquillitate sum
- «Per syrtes navigat»: periculose
- «Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin»: ex alio periculo in aliud
- «Lege litus»: vita pericula
- «Tempestat ex pelvi»: in nugis tragoedia
- «Excitare fluctus in simpulo»: de flocco rixari
- «Tranquillo mari quilibet gubernator est»: facile ferre fortunam secundam, non item adversam.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.



# Bibliographia

GERHARD ROHLFS — *Romanische Philologie*, 2 vol. Heidelberg, Winters Studienverlag; 1950. 1952. Universitätsverlag.

Bibliographia et methodica et discreta, quae alumnos dirigat in studiis disciplinisque quibus incumbunt, quaeque insuper cum horum directiones tum tempora vel aetates illis quidem attributa definiat: en tibi utile recentis scientiae instrumentum, immo vero etiam necessarium. Quod certe praebet novum hoc in duobus voluminibus opus, aptus «Romanisticis» ductor, a Dno. Rohlfis ea exaratum auctoritate, eidem quae facile ab omnibus sapientibus in hac re conceditur.

Itaque hoc in opere utiliora colligit scriptor, atque una definit quod est praecipuum, articulus ne esset merus plagarum complexus, quod saepe saepius usu venire consuevit, in manualibus hujus generis. Opus autem hoc Dni. Rohlfis non est simplex bibliographia critica, neque mera introductio in diversas grammaticae scientificae partes, culturam et litteraturam; sed quaedam omnino commixtio ambarum methodorum. Hinc lucubratio est in opus paedagogicum valde laudabile in se commodissimumque his, quibus dirigitur imbuendis discipulis, conversa

Est, igitur, finis scientificus et insuper usu doctus, commodare nempe studiosis litterarum humanorum monumenta et praecepta, qui editioni hujus manualis philologiae Romanicae praest

Duplici hodie volumine constat hoc opus; tertium vero volumen in prelo nuntiatur. In primo volumine tres amplae sunt sectiones. In quarum una agitur, in genere, de scientia Romanica. In altera de philologia Gallica disseritur. In tertia de philologia «Provincialica». Tres quoque sunt sectiones in altero volumine. In una de philologia Italica

agitur. In altera, de lingua Sardica. In tertia denique de lingua «Retoromanica».

Liber dilucide exponit de selectis in lingüistica Romanica, adeo nostris diebus exulta in aulis et universitatibus, estque perutilis ex indicationibus fere innumeris bibliographicis. Paucis, vera est de re tanquam manualis bibliotheca.

VIGGO BRONDAL. — *Théorie des prépositions*, Copenhague, Ejnar Munksgaard; 1950, XXII, 145, cour. dan. 15.

En tibi liber, qui certe utilis erit ad cogitationem tuamque ingenium in arte sermocinandi extorquendum. Liber magni quidem acuminis et ponderis, qui de quaestione sat difficili, eaque magis scientiae logicae, quam grammaticae est propria. Liber hic editus est a Dno. Brondal lingua Danica anno 1940; duobus vero post lustris in Gallicam est redditus a claro professore Pierre Naert. Qui non nulla tibi exempla Anglica exemplis Danicis, magis commoda lectoribus nostris, jure meritoque sufficit.

Opus autem maxime conexum est intrinsecus cum ceteris superioribus lucubrationibus Dni. V. Brondal: de Partibus Orationis (1928), de Morphologia et Syntaxi (1932), de Conditionibus generalibus ad systema lingüisticum quodcumque definiendum, collectis sane in opere postumo: «Essais de linguistique générale»

In hoc vero libro agitur de definiendis praecipuis notionibus, super quas omne systema possibile praepositionum, quaecumque in lingua, consistat. Exempla quae scriptor adhibet nihil aliud sunt, ut plurimum, nisi professio et confirmatio «occasionales» de principis a priori ab ipso sibi scriptore conceptis. Quod autem ad linguam Latinam pertinet, confer in primis pag. 33, 50, 61 et seq., 69, 96, 105 et seq., 117, 138.

«Aptiorismum» scriptoris forsitan id erit, quod maxime lingüistas philologosque anxit. V. Brondal nullum sibi sumit exordium a formis vel functionibus syntacticis datis ad praepositionem definiendam: illi solum valida est definitio «conceptualis» Omnis praepositio quandam exprimit relationem: inde manet, ut quid ex eo consequens, omne ulterius studium in theoria generali relationum fundatum, alias logicae scientiae.

Lectori hoc delibandum opus invitamus; quamquam enim non semper ipse probabit «praemissa», ibi tamen utilitatem, quod assolet ex consuetudine cum excellenti ingenio, hauriet.

ALOIS WALDE. — *Lateinisches Etymologisches Woerterbuch Dritte neubearbeitete Auflage von J. B. Hofmann. 18-19 Lieferung. Heidelberg, 1952. Carl Winter, Universitaetsverlag.*

Jam jam ad exitum perducta erit tertia haec editio, in singulos vero fasciculos evulgata, Dictionarii etymologici Latini a claro scriptore A. Walde olim exarati, atque nunc temporis a Dno. J. B. Hofmann ex toto recogniti in meliusque redditi.

Ad nos duos posteriores fasciculi operis sunt transmissi, fasciculus nempe duodevicesimus et fasciculus undevicesimus, quos magno quidem animo grato domui editrici rependimus. In altero fasciculo Latinum Dictionarium prosequitur scriptor, a vocabulo *semita* ad vocabulum *stinguo*. In corpore vero Dictionarii plagulis 513-592 respondet In altero autem fasciculo, a vocabulo *stipa* ad vocabulum *tero* operis continuationem habes: a plagula 593 ad plagulam 672.

Eadem quippe via et ratione conspiciam opus quod progreditur, quod nos certe eximit de verbis amplioribus modo faciendis: aliis quidem in PALAESTRAE LATINAE locis de eo jam satis disputatum est. Facere tamen non possumus quin denuo Dictionarium Waldense magno opere his commendemus Latinitatis studiosis, qui rem penitus, praesertim in vocum etymologia cognoscenda, comprehendere exoptant. Nulla plane in bibliotheca desiderari licet tale Dictio-

narium, instrumentum sane idoneum, immo necessarium omnis lucubrationis Latinae perdoctae in hodierna litterarum humaniorum arte.

J. B. HOFMANN. — *Lateinische Umgangssprache, 3.<sup>a</sup> Aufl. Heidelberg, Winter, 1951. 212 pag. 7, 10, D. M.*

Tertia quidem editio in vulgus edita est his diebus libri clari Dni. J. B. Hofmann de lingua Latina communi vel cotidiana. Atque innumera fere exempla, quae opus explanant explicantque, nobis cursum offerunt linguae Latinae maximo opere diversum: progreditur enim a maxima «rusticitate» ad maximam in colloctionis Latinae ratione «urbanitatem».

Parum vero differt tertia haec a prima editio, anno jam 1926 evulgata. Quod est forsitan dolendum; nam multa scilicet atque varia de re hucusque a sapientibus exagitata fuerunt. Quamquam illam etiam vocem quadrare modo dicendum, nisi fallor: Lepus hic aliis exagitatatus exit.

Quattuor opus in capita magni proventus momenti est divisum. In uno agit fuse scriptor de provincia subjectiva-affectiva linguae Latinae communis vel cotidianae (pp. 9, 124). In altero, de partibus collocutoris in professione cogitationum personalium in eodem sermone (pp. 125-152) In tertio, de ratione concreta et abstracta linguae Latinae communis vel cotidianae (pp. 153-164). Denique in quarto capite agit de ratione «promiscua et «oconomica» ejusdem linguae (pp. 165-172). Complent vero hunc librum index verborum et index rerum una cum brevi notarum appendice (pp. 173-210).

Lecto hoc quidem opere, lectoris quoque dubium in mente forsitan haerebit: an post tot iudiciorum atque notationum prolatarum, adhuc exstet commixtio quaedam inter linguam affectivam et popularem, communem et vulgarem, oralem et familiarem Paucis, id quod a non nullis scriptoribus sermonem «Latinum non litterarium» appellatur, nondum uno ore lingüistarum et philologorum exprimi videatur.

Maximae vero liber utilitatis erit his praesertim, qui de Latinitate notionem plenam et historiam comprehendere exoptant.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

# Index rerum atque scriptorum

a. 1951 et 1952

## Bibliographia

1951. — A. Liefoghe, Notions élémentaires de Grammaire Comparée du Grec et du Latin, 125, 17. — V. Brøndal, Les parties du discours. — Partes orationis, 125, 17. — A. Nordh, Libellus de regionibus urbis Romae, 125, 17. — S. Ambrosii, De Virginitibus libri tres, 125, 18. — S. Jerónimo, De la guarda de la virginidad, traducción del Rdo. P. G. M. Cabello, C. M. F., 125, 18. — Homero, Iliade, libro XII y XXIV, 125, 18. — César, Guerre d'Afrique, traduit per A. Bouvet, 125, 19. — L. Catin, Le Latin en quatrième, 125, 19. — R. Gransaignes d'Hauterive, Dictionnaire des racines des langues européennes, 126, 37. — Frnout, Les adjectifs latins en -osus et en -ulentus, 126, 37. — S. Neto, Fontes do latim vulgar, 126, 37. — E. Sustaeta, Estilística Virgiliana, 126, 38. — D. Mayor S. J., Homero escolar, 126, 38. — R. Morisset et G. Thévenot, Les Lettres Latines, Le théâtre, Lucrèce, Cicéron, César et Salluste, Virgile, Horace, Les poètes élégiaques, Tite-Live, Sénèque, Tacite, 126, 38. — E. V. Marmorale, Cato Major, 126, 39. — A. Lambert, Die indirekte Rede als künstlerisches Stilmittels des Livius, 126, 39. — R. J. Cuervo, Disquisiciones sobre filología castellana, 127, 56. — Ciceró, Tusculanes, traducció d'Eduard Valentí, 127, 56. — F. A. E., Anuario de la Enseñanza privada en España, 127, 57. — Rubenbauer-Hofmann, Lateinische Grammatik, Lectiones Latinae, 127, 57. — J. Guillén, Cicerón, su época, su vida y su obra, 127, 57. — E. Dieth, Vademekum der Phonetik, 127, 58. — L. Früchtel, Griechische Grammatik, 127, 58. — J. Saunier, Vocabulaire Grec, 128, 77. — A. Cayuela S. J., Doctrina de Oratoria Sacra, 128, 77. — M. Grammont, Phonétique du grec ancien, 128, 77. — S. E. I., Colección Escolar de Autores Griegos comentados, 128, 77. — Ludwis Voit-Hans Bengel, Römische Erbe, 128, 78. — H. Petre, Ethérie (traduction), 128, 78. — J. Guillén, Gramática Latina 2.<sup>a</sup> ed., 128, 79. — C. E. Mesa, C. Sallusti Crispi •De Catilinae Coniuratione• 2.<sup>a</sup> ed., 129, 98. — E. Wald, Die Kultur der Antike, 129, 99. — Q. Cataudella, Storia della Letteratura Greca 2.<sup>a</sup> ed., 129, 99. — Walde-Hofmann, Lateinisches etymologisches Wörterbuch (13, 14, 15, 16, 17 Lieferung), 130, 117. — J. Guillén, Obras completas de A. Prudencio, 130, 117. — C. Rosset, Joas. Massilia, 130, 118. — Meunier-Paud, Grammaire Latine, 130, 118. — M. Felcicis,

Octavius; Q. S. Tertulliani, De corona liber, De cultu feminarum libri duo. — P. O. Nasonis, Fastorum libri VI, 130, 119. — J. Ferreres-Mondria, Compendium Theologiae Moralis, 130, 119.

1952. — M. J. Suelzer, The Clausulae in Casiodorus, 131, 135. — J. M. Salas, Recuerdos del Ingenioso Hidalgo, 131, 137. — M. Manteca, El latín y el examen de Estado, 131, 137. — B. Pierre, Vade mecum de Latin pour toutes les classes, 131, 137. — W. F. Otto, Die Götter Griechenlands, 131, 137. — E. V. Marmorale, Giovenale 2.<sup>a</sup> ed., 131, 138. — González de la Calle-Federico Leo, Literatura Romana (traducción castellana del alemán), 131, 138. — Boix, Llibre de la Mare de Déu de Montserrat; Garcés, Llibre de la M. de Déu de Núria; Mament, Llibre de la M. de Déu de la Mercè, 131, 138. — C. Diaz y Diaz, Antología del Latín vulgar, 131, 139. — Pike, Phonemics, 131, 139.

Vox, Diccionario Manual Francés-Español, Español-Francés, 132, 141. — J. Errandonea S. J., Gramática Latina 14.<sup>a</sup> ed., 132, 141. — Ernout-Thomas, Syntaxe latine, 132, 158. — J. B. Hofmann, Etymologisches Wörterbuch des Griechischen, 132, 158. — Pabón-Fernández Ramtrey, Schiller, 132, 159. — V. Capánaga, O. R. S. A., San Agustín, 132, 159. — M. Verheijen, Eloquentia pedisequa. Observations sur le style des Confessions de saint Augustin, 133, 179. — G. Cardinali, Le origine di Roma, 133, 179. — M. Hombert, Lysias, Choix de discours, 133, 179. — J. Errandonea, Epítome de Gramática Griego bíblica, 133, 180. — P. Aebischer, Estudios de Toponimia y Lexicografía románica, 134, 197. — F. Galiano, Heródoto, nueva versión directa, 134, 198. — D. Traversi, Shakespeare, 134, 198. — L. Flórez, La pronunciación del Español en Bogotá, 134, 198.

E. Valentí, L. Caro: De la naturaleza, libro I, 134, 199. — R. Sampere S. J., Selecta latina, 134, 199. — M. Peña - A. Pariente, Salustio, Conjuración de Catilina, Guerra de Yugurta, traducción, 135, 217. — J. M. Salas, Odas de Anacreonte, traducción, 135, 217. — M. M. Peña, Tácito, Diálogo de los Oradores, Germania, traducción, 135, 218. — E. Löfstedt, Coniectanea, 135, 218. — V. G. Yebra, De rebus Hispaniae II, 135, 219. — C. Rosset, Phaedri fabulae selectae, 135, 219. — L. Pérez, Gramática Clásica, 135, 219. — H. François, M. T. Ciceronis Cato Major de Senectute liber, 135,

219. — *Jiménez Delgado*, 3.º y 4. curso de Latín, 136, 222. — *G. Rohlf*s. Romanische Philologie, 136, 237. — *V. Brondal*, Théorie des prépositions, 136, 237. — *A. Walde*, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 136, 238. — *J. B. Hofmann*, Lateinische Umgangssprache, 136, 238.

#### Nova et Vetera

1951. — *Avenarius*, De quibusdam nobis vocabulis in Latinum inducendis, 125, 11; 126, 30. — *Mir*, De culina Romana, 125, 13; Culina Hodierna, 126, 32; Triclinium, 127, 54; Capillorum cura apud Romanos, 128, 69; 130, 108. — *Sansegundo*, Romanorum Institutiones, 129, 86.

1952. — *Sansegundo*, De urbis Romae origine et conditu, 131, 125; De ulteriore Urbis incremento, 135, 206. — *Holzer*, Nomenclatura vestiaria, 131, 130; 132, 146; 134, 186; 136, 229. — *J. González*, De humani corporis sensibus, 132, 149; 134, 194; Magnetismus, 136, 233. — *H. Valls*, De ventis apud veteres Romanos, 133, 166.

#### Historica

1951. — *Mir*, Novus annus ad altiora nos concitat, 125, 3.

1952. — *Jiménez*, Thesaurus Linguae Latinae, 134, 183. Certamen Capitolinum III, 134, 189.

#### Litterae

1951. — *J. M. Salas*, De brevitate vitae apud Horatium, 129, 93.

1952. — *E. Orth*, Historia... magistra vitae, 131, 123; De novo libro et fragmento Aristotelis, 132, 144; 133, 164. — *Holzer*, Commentariorum periodicorum hujus aetatis tituli quomodo Latine reddi possint, 136, 223.

#### Per orbem

1951. — *Sarmiento*, Classicarum litterarum tertium Salmanticae curriculum, 125, 16. — *Cebrián*, 129, 95; V curriculum Salmanticae ad litteras fovendas, 130, 102.

1952. — *Tosatti*, Certamen Capitolinum, 135, 213.

#### Philologica

1951. — *E. Orth*, Lucretiana 1950, 125, 9; 126, 35; 127, 52; 128, 70; 129, 85; De Sapho poetria, 128, 96.

1952. — *Mir*, Anceps, ancipitis, 132, 143; Undenam vox pacis?, 133, 163. — *E. Orth*, Conjectanea Graeca, 134, 190; 135, 205; Lucretiana, 136, 225.

#### Commercium Epistulare

1951. — *Sansegundo* *Mir*, 125, 8; *Avenarius* *Mir*, 127, 48; *Holzer* *Jiménez* *Mir*, 128, 74; *Holzer* *Jiménez*, 129, 90; *Avenarius*, 130, 106; *Holzer* *Mir*, 130, 111; *Brasero*, 130, 113.

1952. — *Jiménez* *Holzer* *Mir*, 131, 132; *Holzer* *Mir*, 132, 155; *Avenarius*, 133, 178; *Holzer*, 134, 191.

#### Grammatica

1951. — *Sansegundo*, De ordinalium usu atque ratione apud Romanos, 125, 4. — *Jiménez*, De hexametro Vergiliano, 126, 23. — *Holzer*, De conjunctionum quod, quia, quoniam usu abolendo, 127, 43; 128, 72; 129, 83; 130, 103.

1952. — *Mir*, Excello, excellui, excelsum?, 135, 203.

#### Stilistica

1951. — *B. Itrani*, De vario superlativi usu, 126, 27; 127, 46. — *Mir*, Quas leges sequi oporteat ut nostra aetate latine scribamus, 128, 63; Cursus gymnasticus, Gratus animus, 130, 114.

1952. — *Mir*, Cursus gymnasticus, 131, 128; El llanto de la Virgen (P. Granada), 132, 152; Cristo príncipe de la paz (Fr. Luis de León), 133, 170; El Lazarillo de Tormes (fragmento), 134, 187; Discurso sobre el Piave), 136, 227. — *Beltrant*, De complemento causae, 135, 211.

#### Poetica

1951. — *Avenarius*, De «Silva Bohemica» cantilena, 125, 2. — *S. Bond*, Mystica nox! 126, 29. — *L. Marcos*, Navis electa, 126, 40. — *T. Ramos*, Ad Pium X quem Sanctum Papam dixerunt, 128, 67. — *Lucesole*, Durus Venator, 129, 89. — *R. Ribera*, S. Cordi Jesu in Sacramento amoris sui, 130, 110.

1952. — *Mauleón*, Ad nostrae aetatis homines sermo de vera pace statuenda, 133, 173. — *Lucesole*, Occidi Matrem, 135, 210. — *David*, Tabulae Minimae, 136, 232.

#### Compositiones vertendae

1951. — *Cicerón*, 125, 20; 127, 60; 128, 80; 129, 82; 130, 120; *Dionisio* el tirano, 127, 60; Ingratitud de un soldado de Filipo, 128, 90; Fortaleza de Jenofonte, 129, 82; Amor conyugal, 130, 120.

1952. — Interpretación de un sueño, 131, 122; Dignidad de un Romano, 134, 200.

#### Exercitationes Scholares

1951. — *Lage*, 126, 26; 127, 42; *Barrientos*, 128, 62; 133, 162; *A. Agüero*, 128, 62; 129, 100; *A. Barreiro*, 129, 100.

1952. — *L. Espeche*, *L. Brasero*, *J. M. Melé*, 131, 140; *Pablo*, 133, 162; *Vidal*, *Augé*, *Elcano*, *Alonso*, 134, 182; *Pueri*, ludite in Schola convocatio ad certamen), 135, 220.

#### Curiosa et jocosa

1952. — *Mauleón*, 135, 202.

#### Colloquia in Schola

1952. — *Mensis Marianus*, 135, 214.